

sua cœp. : seu per hoc condemnatus fuisti, jure poteris convenire, ut te a fidejussione debeat liberare. » Concordat, l. *Lucius*. 38. § 1. ff. *Mandati*. ibi : « Si diu in solutione reus cessavit ; aut certe bona sua dissipavit præsertim si domi pecuniam fidejussor non habebit, qua numerata creditori, mandati actione conveniat. »

66. *Fidejussor in pluribus casibus petere potest liberationem a solutione, etiam antequam solvat ; veluti primo, si debitor in culpabili mora solvendi est.* — Primus itaque casus, quo fidejussor liberationem petere, eamque debitor præstare tenetur, est ; si debitor diu negligit solvere, seu in culpabili mora solvendi est. cit. c. fin. h. t. l. *Lucius*. ff. *Mandati*. Ratio est, ne continuum, et quasi perpetuum sit fidejussoris periculum, ac onus. Quandiu autem in mora solvendi existere debeat debitor, ad hoc, ut fidejussor, antequam solvat, liberationem a fidejussione petere valeat, non conveniunt doctores ; alii enim, uti videre est apud Molinam, disp. 546. n. 8. volunt sufficere biennium : alii contendunt requiri decennium, prout videre est apud Gailum, lib. II. observ. 29. n. 6. Verius tamen, juriq. conformius dicitur, his consideratis circumstantiis, judicis arbitrio relinquendum esse. Et ita docet Barbosa, in cit. c. fin. h. t. n. 4 ; Gailus, loc. cit. ; Menochius, de *Arbitrar.* casu 41. n. 3 ; Molina, disp. 546, n. 8. cum communi aliorum, claque desumitur ex l. I. § fin. ff. de *Jure liberand.*

67. *Secundo si debitor incipit notabiliter dilapidare bona sua.* — Secundus casus est, quando debitor principalis incipit esse prodigus et dissipare bona sua, cit. c. fin. h. t. et *Lucius*. 38. ff. *Mandati*. Ratio est, quia cum tunc periculum sit in mora, ne fidejussor sine spe aliud a debitore recuperandi, cum suo tempore solvere, sicque damnum incurrere debeat, merito ante solutionem liberationem a fidejussione petit. Est autem intelligenda conclusio non de parva et modica, sed de magna et tali dilapidatione, ex qua rationabiliter timetur paupertas debitoris, et impotentia solvendi, Gailus, loc. cit. n. 8, arg. l. *Scio* 4. ff. de *Restit. integr.* et ibi Glossa, §. *Summam*.

68. *Nisi sciente fidejussore, tempore fidejussionis jam cœperit dilapidare bona sua. Necessitati qui se ultro exponit non succurritur.* — Limitatur conclusio in casu, quo debitor tempore fidejussionis sciente fidejussor jam

cœpit dilapidare bona sua, prout bene docet Glossa communiter recepta in l. *Si pro ea*. 40. c. ; *Mandati*. Gailus, loc. cit. n. 9 ; Pirhing, h. t. n. 18, arg. l. *Si creditores*. ff. de *Privilegiis creditorum*. Ratio est, quia talis fidejussor periculum sponte in se suscepisse præsumitur. Non autem succurritur ei, qui se ultro necessitati exponit : « neque enim meretur, » ait Ulpianus, l. *Si fidejussor*. 7. § 1. ff. « Qui satisfacere cogant, qui ipse sibi necessitatem satisfactionis imposuit. »

69. *Vel nisi maturi se emendat fidejussor cessando a dilapidatione.* — Barbosa, in c. fin. h. t. n. 6, citans Tiraquell., *Cessante causa*. p. 1. in prin. n. 22, Mantica et alios, limitat etiam conclusionem, si debitor, post inchoatam dilapidationem iterum ad meliorem frugem revertitur, et antequam ad inopiam vel impotentiam solvendi, aut periculum ejus perveniat, a dilapidatione cessat. Ratio est, quia cum in tali casu res adhuc sit integra, cessetque causa petendi liberationem, periculum nempe damni fidejussoris, nullatenus poterit ante solutionem pro liberatione agere, eo quod, nisi adsit legitima et justa causa, ante solutionem fidejussor liberationem a fidejussione petere nullatenus valeat, textu claro, l. *Si pro ea*. 10. c. *Mandati*.

70. *Tertio quando fidejussor ad solvendum pro debitore condemnatur.* — Tertius casus est, quando fidejussor, ut pro debitore solvat, condemnatur. Tunc enim illico agere potest adversus debitorem, ut eum a fidejussione liberet, ac indemnem servet. cit. c. fin. h. t. et l. *Lucius*. 38. ff. *Mandati*. juncta l. *Fidejussor*. 45. ff. h. t. etiam antequam solvat ; quia cum sententia paratam habeat executionem, l. *Post rem*. 56. ff. de *Re judicat.* periade est, ac si jam solvisset. Addit Barbosa, in c. fin. h. t. n. 9 ; Gailus, observ. 29. n. 13 ; Menochius, de *Arbitrar.* casu 41. n. 19 ; Pirhing, h. t. n. 18, agere etiam posse fidejussorem pro liberatione statim post conclusionem in causa ; quia, etsi tunc condemnatus nondum sit, certum tamen est, quod condemnandus sit ; ut proin merito jam abeat pro condemnato. Idem dicendum, quando vi statuti sententia, seu condemnatio necessaria non est : veluti si fidejussor per instrumentum confessionatum est obligatus, etc. Barbosa, loc. cit. n. 10, citans plures alios, Gailus, loc. cit. n. 12. *

71. *Nisi debitor a sententia legitime appellat.* — Limitatur autem conclusio, quando fidejussore condemnato appellat debitor, Bar-

bosa, loc. cit. n. 11 ; Pirhing, h. t. n. 8. Ratio est, quia per appellationem, nisi frivola sit, et frustratoria, suspenditur sententia, ut patet per ea, quæ diximus lib. II. tit. XXVIII. § 7. de *Appellatione*. Præter hos casus c. fin. h. t. et l. *Lucius*. 38. ff. *Mandati*, contentos assignantur a doctoribus adhuc alii. Unde

72. *Quarto, si inter fidejussorem, et debitorem, hujus culpa extortæ sint capitales, vel graves inimicitæ.* — Quartus casus præbens fidejussori justam causam petendi liberationem a fidejussione est, si inter debitorem et fidejussorem graves vel capitales extortæ sunt inimicitæ. Barbosa, loc. cit. n. 14 ; Surd., de *Aliment.* tit. I. q. 45, n. 73 ; Pirhing., h. t. n. 18, arg. l. *Filiusfamilias*. 8. § fin. ff. de *Procurat.* Intellige, si culpa debitoris, non item, si culpa fidejussoris inimicitæ sint extortæ ; alias enim pro libitu liberare se posset a fidejussione fidejussor, incipiendo nempe inique litem ac discordiam.

73. *Quinto, si inter debitorem et fidejussorem conventum est, ut eveniente certa conditione, aut elapso certo tempore, liberaretur a fidejussione.* — Quintus casus est, si inter fidejussorem et debitorem conventum est, ut eveniente certa conditione, aut elapso certo tempore liberaretur fidejussor. Glossa, in c. fin. h. t. §. *Si diu* ; Barbosa, in cit. c. fin. h. t. n. 13 ; Gailus, loc. cit. n. 13. et 14 ; Menochius, de *Arbitrar.* casu 41. n. 26 ; Pirhing, h. t. n. 18. Ratio est, quia « contractus ex conventionem legem accipiunt, » l. I. § 6. ff. *Depositum* ; et pacta justa servanda sunt, l. penult. c. de *Pactis*.

74. *Sexto, si fidejussor ex rationabili causa peregre proficiscitur.* — Sextus casus est, si fidejussor ex rationabili causa, v. g. negotiationis, studiorum, vel simili, vult peregre proficisci ; Abbas, in c. fin. h. t. n. 4 ; Barbosa, in idem c. n. 16 ; Pirhing, h. t. 18 ; Gailus, lib. II. observ. 29, n. 15, arg. l. *Filiusfamilias*, 8. § fin. ff. de *Procurat.* l. *Aut si*. 9. et l. *Aut longa*. 23. ff. eod. Sunt præter enarratos, adhuc alii, minus tamen in praxi occurrentes casus, in quibus pro liberatione agere potest fidejussor, quos vide apud doctores ; præsertim Socinum, reg. 147.

75. *De actionibus ex fidejussione provenientibus. Remissive.* — Quæri hic etiam posset, quæ actiones oriuntur ex fidejussione ? verum quia de hoc supra a n. 61. de beneficio cedendarum actionum sufficienter jam egimus, docendo, quod creditori principali

competat actio contra debitorem principalem, et fidejussorem, quam actionem fidejussori solventi, vel ad solvendum damnato cedere potest ac debet ; ideo hic nihil reperimus, sed illuc lectorem remittimus.

76. *Actiones ex fidejussione resultantes dantur etiam contra hæredes.* — Id solum notandum, quod actio, quam creditor, vel ex hujus cessione fidejussor habet, non tantum detur contra debitorem principalem, ac fidejussorem, atque confidejussorem, sed etiam contra hæredes eorum. § 2. Instit. h. t. ibi : « Fidejussor non tantum ipse obligatur, sed etiam hæredem relinquit obligatum. » et l. *Fidejussoris*, 24. c. h. t. Etiamsi nullo hæredum fiat mentio l. *Veteris*. 13. c. de *Contrah. et committend. stipulat.* ibi : « Generaliter sancimus omnem stipulationem sive in dando sive in faciendo, sive mixta ex dando et faciendo inveniat, et ad hæredes, et contra hæredes transmitti ; sive speciali hæredum fiat mentio, sive non. » Imo etiamsi fidejussoria obligatio taxative concipiatur, et dicatur, quod fidejussor solus, vel tantum, dumtaxat teneatur, contra hæredes ejus dabitur actio, l. *Si necessarias*. 8. § 4. ff. de *Pignorat. act.*

TITULUS XXIII.

De Solutionibus.

1. *Ratio continuationis.* — Quandoquidem debitore principali non solvente, ad solvendum compellitur fidejussor, juxta vulgare illud Germanum adagium « die Burgen mues man wirgen, » recto ordine post tit. de *Fidejussor.* sequitur tit. de *Solutionibus*, quamvis solutionis obligatio etiam ex aliis capitibus oriatur.

§ I.

DE NATURA SOLUTIONIS ; AC IIS, QUI SOLVERE POSSINT ET DEBEANT : NECNON DE ILLIS, QUIBUS SOLVI POSSIT AC DEBEAT.

2. *Solutio late sumpta, quid?* — Quæritur I. Quid sit solutio ? Resp. I. Solutionem posse late, ac generaliter, atque proprie et stricte sumi. Generaliter, et late sumpta significat omnem quamcumque satisfactionem, pro

omni quacunque obligatione, sive per ultro-neam promissionem, sive alio quovis modo contractam, l. *Solutionis verbum*. 54. ff. h. t. ibi: « Solutionis verbum pertinet omnem liberationem, quoquo modo factam. » et l. *Solutionis verbo*. 176. ff. de *Verb. signif.* ibi: « Solutionis verbo satisfactionem quoque omnem accipere placet. solvere dicimus eum, qui fecit, quod facere promisit. »

3. *Solutio proprie sumpta definitur.* — Resp. II. Solutio proprie ac strictè sumpta est idonea ac sufficiens debiti præstatio, seu satisfactio tempore et loco convenienti legitime facta. Ita in re communis. Nec indiget aliqua declaratione; cum pateat ex terminis. Sola notanda verba « legitime facta, » quorum loco alii, sed minus iuridice, ponunt, « creditori facta: » quia uti ex l. *Solutam*. 49. ff. h. t. constat, et ex infra dicendis patebit, vera solutio esse potest, etsi non ipsi creditori, sed alicui alteri personæ fiat.

4. *Omnis, qui debet, tenetur solvere per se, vel per alium.* — Queritur II. Quinam solvere teneantur, et possint? Resp. I. Solvere per se, vel per alium tenetur omnis, quicumque debet vel obligatur, sive deus sit laicus, sive clericus, sive masculus, sive femina. Ratio est, quia iustitia exigit, ut reddatur unicuique suum, » seu quod ei debetur; notis iuribus; nec obligatio aut debitum tollitur nisi solutione, et satisfactione, prin. Instit. *Quibus modis toll. obligat.* ibi: « Tollitur autem omnis obligatio solutione ejus quod debetur. »

5. *Si solvendo non est, tenetur cedere bonis.* — Resp. II. Si quis debitor solvendo amplius non sit, et est laicus, debet cedere bonis, ac permittere, ut bona ejus subhastentur. Germanis « sich auf die Gand schreiben lassen. » Ex quibus dein bonis censis creditores servato juris ordine § 3. ponendo sumunt, quantum cuius debetur, quando aliquis adest textu claro, l. I. c. « Qui bonis cedere possunt: » relictis tamen iis, quæ debitori ad sustentationem necessaria sunt. « Nec enim fraudandus est alimentis quotidianis, » ut dicit Ulpianus, l. *Qui bonis*. 6. ff. de *Cession. bonor.* Quo non obstante, si ad pinguorem fortunam venerit, tenetur solvere, in quantum potest. l. *Is qui*. 4. ff. eod. ibi: « Is, qui bonis cessit, si quid postea acquisiverit, in quantum facere potest, convenitur, cum concordantiis et c. III. h. t. »

6. *Qui non habet in ære, luat in cute, quo modo intelligendum.* — Dices. Juxta tritum

axioma, « Qui non habet in ære, luat in cute: » l. VII. § 3. ff. de *Jurisdic.* ibi: « Qui inopia laborant, corpus torquendum est: et l. fin. ff. de *In jus vocando*: ergo. Res distinguendo antecedens. In debitis ex facto provenientius, conceditur: ex mutu vel alio titulo provenientius, negatur: quod dictum axioma tunc solum procedit, quando quis delictum committit, cujus pœna pecuniaria est: nam in tali casu, si solvere nequit, luere debet in cute, ne delicta maneant impunita.

7. *Solvendo non existens clericus non tenetur cedere bonis, nec potest propterea incarcerari, aut aliter molestari.* — Resp. III. Quamvis, ut dictum, etiam clerici solvere teneantur; nihilominus, si ob inopiam solvendo non sunt, ob delictum bonis cedere non tenentur, nec excommunicari, incarcerari, aut aliter molestari possunt. Abbas, in c. *Odoardus*. 3. h. t., n. 3; Barbosa, in idem eod. n. 2; Engel, h. t., n. 1; Sannig, eod. cap. II. n. 4. et communis aliorum. arg. cit. c. *Odoardus*. 3. h. t. Neque tenetur creditori ea cuncta cedere pro solutione debiti, quæ de presenti habet, sed ea, quæ pro honesta sustentatione sunt necessaria, deducere: ac sibi reservare potest, Glossa, in c. *de*. § 1. *Ad pinguorem*; Menochius, de *Arbitrio*. jud. casu. 103. n. 30; Abbas, loc. cit. n. 1; Engel, h. t. n. 4; Covarruvias, *Var. resolut.* lib. II. cap. I. n. 9, cum communi aliorum, arg. l. *Is qui*. 4. ff. de *Cession. bon.* Ratio est, quia sicut miles non tenetur solvere usque ad subtractionem sustentationis necessariæ, arg. l. *Miles*. 6. prin. ff. de *Re judicat.* Ita dicendum de milite Christi, ut notat Glossa in dictam l. *Miles*.

8. *Limitatur primo in clerico minorista. Opinio contraria Fagnani.* — Limitatur tamen conclusio primo in clerico, in minoribus primum constituto; nisi serviat Ecclesiæ. Covarruvias, loc. cit. §. *Sed quoad decisionem*; Barbosa, in c. III. h. t., n. 8; Menochius, loc. cit.; Molina, disp. 121, n. 20. cum communi aliorum. arg. concil. Trident. sess. 23, cap. VI. Quamvis Fagnanus, in c. III. h. t. juri vere conformiter doceat, quosvis etiam minores clericos gaudere beneficio, cit. c. III. h. t. cui tamen, quia praxis resistere videtur, adhærendum non videtur.

9. *Secundo in clerico malitiose negante debitum.* — Limitatur secundo, si clericus malitiose negans debitum, convincitur, Barbosa, in c. III. h. t., n. 11; Belletus, de *Clerico de-*

bit. § 2, n. 1; Molina, loc. cit. n. 21; Fagnanus, in cit. c. III. h. t. n. 55; Put., decis. II. decis. 321; Gutierrez, et alii, arg. c. III. h. t. ibi: « Recognoscendam debitam: » id est, « confidentem debitam, » ut bene exponit Glossa, in cit. cap. III. h. t. §. *Recognoscete*. arg. l. *Si dubitet*. 10. § 1. ff. de *Fidejussoribus*.

10. *Tertio, si clericus debet ex delicto: item qui bona illicite v. g. cum meretricibus consumpsit.* — Limitatur tertio, quando clericus convenitur pro debito descendente ex delicto, vel quasi delicto: tunc enim capi, et incarcerari potest, Barbosa, loc. cit. n. 15; Bellet, loc. cit. n. 9; Farinacius, de *Carcer. et carcerat.* tom. I. p. I. q. 27, n. 72; Abbas, in c. *Veniens*. 8. n. 4. de *Transact.* Ratio est quia « male meritis publice, ut exemplo aliis ad deterrendam maleficia sit, etiam egestate laborare debet, » l. *Bona fides*. 31. ff. *Deposit.* Idem est de clerico, qui ludo prohibito, aut cum meretricibus bona sua consumpsit. Bellet, loc. cit., n. 6; Barbosa, in c. III. h. t., n. 21, et teste Fagnano, in c. III. h. t., n. 39 et 40. moderni communiter.

11. *Quarto, si est suspensus de fuga.* — Limitatur quarto, si clericus suspectus est de fuga; tunc enim capi cum bonis suis poterit etiam ab ipso creditore, ac tradi competenti judici. Covarruvias, lib. I. *Var. resolut.* l. II. cap. I. n. 9; Belletus, loc. cit. n. 17, h. t. arg. c. *Olim*. 12. de *Restit. spoliat.* ubi licitum est cum moderamine inculpate tutelæ invadere clericum pro rebus recuperandis; uti loc. cit. bene advertit Abbas.

12. *Quinto in casu, quo creditor magis eget, quam clericus debitor.* — Limitatur quinto in casu, quo creditor magis eget, quam ipse clericus debitor. Barbosa, loc. cit., n. 7; Belletus, loc. cit. n. 11. et alii. Ratio est, quia in parti causa præferri debet, qui agit de damno vitando: sicut et in dubio pronuntiandum est pro eo, qui agit de damno vitando, uti doctores scribunt, in l. fin. § *Si autem*. c. de *Jure deliberandi*. Plures alias limitationes vide apud Barbosam, in c. II. h. t., a. n. 6; Bellet, de *Clerico debitor*. § 2. et alios. (ADNOTATIO XXVII.)

13. *Qui rerum suarum administrationem non habent, valide solvere non possunt.* — Resp. IV. Ii, qui libera rerum suarum administratione carent, uti sunt pupilli habentes tutorem, minores, et prodigi habentes curatorem, sine auctoritate curatorum, aut tutorum solvere non possunt, l. *Quod si*. 14. § fin. ff.

h. t. ibi: « Pupillum sine tutoris auctoritate nec solvere posse palam est. » Concordat, § fin. Instit. *Quibus alien. licet*. Ratio est, quia « solutio est quædam alienationis species, » Ibid. Quod, si nihilominus solvunt, « non fit accipientis; cum nullus alienatio eis sine tutoris auctoritate sit concessa, » ut dicitur cit. § fin. Instit. *Quibus alien. licet*. Concordat, cit. l. XIV. § ult. ff. h. t. ibi: « Sed si dederit nummos, non fient accipientis, vindicarique poterunt. Plane si fuerint consumpti, liberabitur. » Pariter liber erit a vindicatione creditor, si pecunias a pupillo acceptas suis jam ita commiserit, ut dignosci nequeant. Zas., ad. l. *de*. § 1. n. 8. ff. de *Rebus creditis*.

14. *Procurator tam specialis quam universalis pro debitore solvere potest.* — Resp. V. Solvere pro debitore potest procurator ejusdem non tantum ille, qui speciale ad id mandatum habet, sed etiam universalis, l. *Procurator*. 58. de *Procurat.* ibi: « Procurator, cui generaliter libera administratio rerum commissa est, potest exigere aliud pro alio permutare. » Additur l. immediate sequenti. ff. eod. « Sed et id quoque ei mandari videtur, ut solvat creditoribus. » Unde solutum a procuratore universalis dominus repetere nequit; nam ut dicit Celsus, l. *Quodlibet*. 87. ff. h. t. « Quodlibet debitum solutum a procuratore meo (universalis) uti patet ex contextu; non repeto. »

15. *Imo quivis alius etiam pro invito solvere potest. Conditionem alterius etiam ignorantis meliorem, non item deterioiorem facere quivis potest.* — Resp. VI. Non tantum debitor principalis, aut procurator ejus, sed quicumque alius pro debitore etiam invito ac ignorante solvere, ac satisfacere, eumque a debito liberare potest, l. *Solutionem*. 23. ff. h. t. ibi: « Solutionem vel iudicium pro nobis accipiendum, et invito, et ignorantes liberari possumus. » Idem habetur l. *Solvere*. 53. ff. eod. « Solvere pro ignorante et invito, cuique licet. » Ratio ibidem redditur: quia nempe « licet etiam ignorantis invitique meliorem conditionem reddere. » Concordat, l. *Solvendo*. 39. ff. de *Negotiis gestis*, ubi eadem ratio additur, videlicet « alienam conditionem meliorem quidem etiam ignorantis et invito, nos facere posse, deterioiorem non posse. » Ubi notandum, quod si quis pro alio sciente, et volente solvat, habeat contra illum actionem mandati, arg. l. *Si remanere*. 6. § 2. ff. *Mandati*. Si pro ignorante,